Lane Medical Library

QUAEDAM
DE
MORBORUM HAEREDITARIORUM PROPHYLAXI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. APRILIS A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOA. AUGUSTUS KORTUM

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

ED. DOENHOFF, med. et chir. Dr.
ED. MUELLER, med. et chir. Dd.
MART. BUSCH, med. et chirurg. Dd.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0184

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

DR. CAR. G. TH. KORTUM

MEDICO PRACTICO APUD STOLBERGENSES

AD CINERES USQUE COLENDO

NEC NON

AFFINI

SUO BENEVOLENTISSIMO

EMAN. NESSELRATH

RERUM SACRARUM ANTISTITI

SUMME VENERANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Rerum eventa magis arbitror quam causas quaeri oportere, et hoc sum contentus, quod etiamsi quomodo quidquid fiat ignorem, quid fiat intelligo.

Cic. de divin. lib. II.

Sagacissimi quique omnium aevorum medici in eo elaboraverunt, ut quomodo procedat et quibus conditionibus adstricta sit propagatio morborum haereditariorum perhiberent. Verum tamen theoremata, quae sibi ingeniose concinnabant et manu dextra perpoliebant, eo conspirant omnia, ut illam ex naturae arcanis nunquam revocatum iri atque quotidiano usu quae veniant, ea potissimum explicatu difficillima esse evincant. Non decet igitur, qui hodie ad doctrinam, qua fortasse nulla gravior, nulla minus explorata in medicina, sese studet applicare, divinatione sequi quae fugiant intellectum; decet autem ad experientiam concurrere, unde occultis doctrinae recessibus optabiles luces expetat. Etenim nullam tractandae pathologiae methodum praestantiorem habuerim casuistica vel statistica, quam recentiores secuti, gallofrancici imprimis et anglici medici, in morborum signis ac medelis dilucidandis mirum quantum profecerunt. Hac etiam unica via, laboriosa quidem nec multis grata, eo

valemus pervenire, ut obsoletis opinionibus tralatitiisque erroribus emendatis et extricata vacillante rerum definitione, sincerior liqueat morborum familiarium diagnosis et aetiologia, quibus ducibus diram multorum malorum neciumque causam prospere impugnare possimus.

Ne quis vero miretur, cui fors objecerit hasce pagellas, quod propria experientia equidem plane destitutus adeo sublimem materiem aggredi ausus sum, observationes quasdam notatu dignissimas de praecavendis morbis haereditariis a patre mecum communicatas esse monuerim, quibus utar ad conscribendam dissertationem. Pater per lustra decem et quod excedit medici munere eoque amplissimo functus est in oppidulo prope Aquisgranum sito, quod peculiari morborum genio pariter ac naturae amoenitate incolarumque opima mercatura et industria conspicuum est. Familiae, quae prima domicilia in paludosis quondam et nemorosis convallibus collocaverant, ex vicina Gallia propter religionum dissidia invidiamque exules, quum pari singulae negotio ac lucri studio, pari vitae consuetudine ducerentur, nuptiarum quoque vinculis se arctius confoederare studebant, suamque societatem aliena stirpe immunem servare. Nec posteri ab avorum moribus discedebant, quo factum est, ut seminia morbifera, quae secum comportaverant ad novas sedes advenae, longe lateque dispergerentur, atque favente insuper coeli et loci iniquitate, insignis morborum multitudo familias subiret. Quorum quum plerique vel in neonatis jam obvii, vel tenerrimam infantiam adflictare adsueti, medendi laborem irritum redderent, aut integrae sanationis spem nullam relinquerent: pater nihil anti-

quius habebat, quam feminis gestantibus medelam excogitare, qua tristissima clades a prole futura arceretur. Priusquam autem enarrabo, qua ratione illud successerit, brevem eorum auxiliorum adumbrationem, quae ad praecautionem morborum parentalium valeant medicisque tentata sint, juvat praemittere.

Morbi haereditarii curatu acquisitis difficiliores esse solent. Fr. Hoffmann (1): »aegrius enim, ait, curationem admittunt, facile recurrunt et medentibus multum negotii facessunt.« Fuerunt qui eos prorsus insanabiles arbitrarentur, ut Arnoldus Villanova, Rodericus a Castro (2), alii. Quibus quidem vulgo laboriosius medentur, hae affectiones plerumque, si quidem haereditaria indole nituntur, spem fore ut radicitus evanescant, nobis auferunt, qua tamen ne propterea solito ocius destituamur, cavendum est. Scrofulosin, rhachitidem aliosque contumaces morbos gentilitios haud raro debellari videmus apta curatione, nisi prima infantia praeter modum urgerent, vel ipsi foetui inexpiabilia detrimenta importarent. Imo vero epilepsia haereditaria, quam quibuslibet artis auxiliis resistere, ab Hippocratis autoritate discedens contendit Boerhaave, non est utique insanabilis; id enim famosa Zacuti Lusitani cura comprobat, qui puerum, cujus octo consobrini duoque fratres epi-

---

(1) Fr. Hoffmann, dissert. de affectib. haeredit. 1699.

(2) Cf. J. C. Rougemont. Ueber die erbl. Krkhten. 1794.

lepsia defuncti erant, hoc eodem morbo liberavit cauteriis aliisque, ut conditioni aegrotantis par erat, remediis audaciter administratis. Conformationis quoddam irreparabile vitium quibus subest morbis, hos liquet nequaquam cum felici rerum eventu tractari; neque aliud dijudicandum est de affectibus, qui aetate ubi alias non observantur prorumpunt, unde eos haereditarios certo cognoscimus certius. Quo refero asthma, haemorrhoides, arthritidem puerili aevo occurrentes. Namque violenter tales morbi ingredi, rapacem persequi decursum et mature, alii ob suam vehementiam, alii impedita legitima corporis evolutione, funestam metam attingere solent. Qui denique semper mortem adducunt morbi, lethali exitu ocius terminantur, quando innati sunt. Ita phthisis florida, quae tantum non semper ex archaeali dispositione progreditur, rapidissime pueros juvenesque internecat.

Haud igitur res nullius momenti est haereditariam novisse morborum originem, propter praedictionem aegrotis et nostrae medicationi statuendam. Ubi primum diathesin vel praenuntia morbi vestigia comperta habemus, hisce acriter repugnari, abstineri vero debet ab strenua curatione, si res continuo in pejus vertuntur. Attamen saepe discretu difficillimum est, quo tempore ruina non amplius queat averti, et sola cura mitigatoria debeat institui. Quamdiu non funditus indicia morbosa disparuerunt, tamdiu summa diligentia continuetur; nam quae consanuisse videbantur, saepe recrudescunt inopinato et periculosius. Praeterea tantum abest, ut debellato morbo obdormiscat diathesis, ut novas potius vires ex eodem capessere videatur; quocirca aegrotis praeclarius consu-

lunt, qui insidiosam indolem reprimunt, quam qui declaratum expellunt morbum. Quodsi vero familiares morbos delitescere conspicimus, cavendum est, ne medicis nimium laudis tribuamus, qui restringere quidem valeant illorum germina neque vero penitus exstirpare. Namque prae ceteris illam omnibus quae vivunt insitam praedicaverim necessitatem, qua quidquid alienum impositum nunc velocius et impetuose, nunc paullatim et clandestino exterminare studet. Hic qui medicatrix vocatur naturae nisus magnopere valet in morbis haereditariis. Stahl(1) eos hebescere vel omnino revanescere contendit, quum ad tertiam usque generationem perduraverint. Quantumvis haec opinio ab experientia abhorreat, multo tamen ineptius censent nonnulli, ad infinitum illos propagari neque cessare, anteaquam ipsae stirpes deleantur. Rectius monent Rougemont et Naumann(2), aliquot istos pro viribus perambulare generationes nec unquam terminis immutabilibus circumscribi. Quodsi cogitari posset morbus haereditarius, cui tollendo nil auxilio foret praeter salutarem naturae laborem, nonne hoc unico illud sensim effectum iri crederes, ut posteri ingratissimum jugum exuerent, nisi hoc perpetuo adversis rebus ingravesceret? Frustra meditaberis argumenta, quibus recondita veritas luce clarius demonstrari possit. Ratio vero convincit non fortuitum opportuno rerum externarum confluxu, sed necessarium finem vitiis originariis imponi

---

(1) Stahl, dissert. de haeredit. disp. ad varios affectus. Hal. 1706.

(2) Cf. Schmidt's Jahrbücher für Medizin. 1836. No. VII.

medicatrice natura. Haec plerumque secreta ingreditur itinera, interdum molimina sua ad oculos nostros profert. Maxime vero incitatur ea aetate, qua partes periodicas subire consueverunt mutationes; haec enim prae ceteris morborum progerminationi et abolitioni favet, ita ut ancipite periodo feliciter praetergressa saepenumero periclitata organa integritatem aliquam impetraverint. Frequenter occurrit, ut aliud organum, cui vicissitudo quaedam cum istis intercedit, sollicitetur, ideoque, ni forte hisce illud majorem dignitatem ad partium unionem habeat, derivatio ex loco potiore ad inferiorem fiat, quae alias indolem vere criticam aemulatur, veluti haemorrhoides, si cui fusius emanant ad apoplexiam proclivi, cerebri haemorrhagiam avertunt, alias novum quidem morbum provocat, sed mitiorem, ad quem facilior aditus arti comparatus est. Sic phthisicis, arthriticis orti infantes rhachitide, scrofulis laborare videmus, juvenes chronica cutis eruptione deturpari, quibus tanquam vicariis morbis graviores injuriae mature arcentur. Mira vasorum proclivitas ad immensam sanguinis effusionem quae haemorrhaphilia audit, pubertate, qua suas victimas abripere suevit terribilis morbus, feliciter peracta, interdum arthritide excipitur, ex quo morbo alterum prodire nonnulli arbitrantur. Adams (1) omnibus animalibus curam ingeneratam esse monet, qua quocunque modo ab originaria specie aberraverint, repetere eandem studeant; itaque in belluis ad domesticum usum mansuefactis providendum

(1) Cf. Neue Sammlung auserlesener Abhandl. für practische Aerzte, T. II.

esse, ne ad pristinam revertantur feritatem; itaque feras catervatim peregrinantes sibi fortissimos mares eligere qui gregem ducant. Bestiae coeca necessitate ducuntur, ut quae sibi salutaria sint, quaerant, evitent contraria; nostrum genus intelligentiae obtemperat, instinctum naturalem moderaturae, sed huic saepissime obluctatur imprudente illius usu, unde tanta generis imbecillitas. Quem quidem ad praecavendos morbos neglexerunt, eidem lubenter obsequuntur ipsis morbis vexati. Etenim instinctus summus naturae medicatricis interpres. Nescio num ad eum referendum dicam, quod interdum magni ac robusti viri a mulieribus quaeruntur statura subtili praeditis. Connubiis enim inter homines, qui corpore magnopere discrepant, jam veteres multum autoritatis assignabant; semperque egregium illud Mercati (1) praeceptum valebit: »uxorem aut virum quaerere, qui temperie modo substantiae et fere in omnibus individualibus conditionibus dissideat longis intervallis ab uxore; sic enim a generatione in generationem delitescet magis sigillum haereditarium, vincens inculpatum semen ac praevalens supra vitiose et prave affectum.« Neque omiserunt recentiores argumenta quaedam in medium proferre, ex analogia potissimum deprompta, ex quibus eam solum rem memorasse sufficiat, quod Nigritae cum Caucasianis prolem gignunt mixti coloris, qui tamen plerumque ad eum insignius vertitur, quo patres conspicui sunt.

Nonnulli normas quasdam ac leges indagare conati

---

(1) L. Mercatus de morb. haered. tractatus unicus ad calcem operis ejus. Tom. II.

sunt, quibus morborum propagationem alligatam opinarentur. Inprimis arridet ingeniosa Naumanni propositio, mulierem mariti imaginem sibi concubitu quasi impressam ad prolem transferre, priori quidem tempore satis immutatam, post iteratos vero coitus, quum virili impetu adsueta suam naturam et vigorem opponere didicerit, propriis lineamentis imbutam. Unde fieri, ut patres quod possideant vitium hereditarium ad primitios transmittant, dum natu minores sinceri evadant magisque maternae naturae haeredes. Quo igitur insignius parentum alteruter viribus praecellat, eo ad ejusdem speciem propius accessuram esse progeniem. Dolendum quod venustissimam hypothesin experientia itidem et confirmat et refellit. — Praeclare generi humano consuleretur, si nuptiae solito prudentius conciliarentur, si neque parum adulti neque decrepiti nec valetudinarii imbecillesque, sed soli parentes bene habiti liberis operam darent. Quid autem piis votis indulgere juvat? Fuerunt qui eo ardoris procederent, ut ad coelibatum damnari vellent quemcunque haereditaria labe infectum. Felices se praedicent nostrates, quod rerum religiosarum et civilium instituta consanguineos nuptiis jungi vetant. Ceterum nemo legibus obstringi potest, ut quam sapientissimum ineat matrimonium; plurimum vero valerent medicorum consilia, dummodo avidius expeterentur.

Alteram ad seriem subsidiorum venio, quae extrinsecus salutariter profluunt ad corpora prima ab origine labefactata. Adams praecipue vim coeli et loci laudat saluberrimam. Noxiis enim endemii et epidemii genii rationibus diatheses morbosae gignuntur, quae per aliquas

generationes traductae vigore decrescunt, donec vel sponte cessant in gente minori iniquo coelo adsueta, vel sensim peculiarem notam a norma recedentem partibus quibusdam imponunt, unde nova generis varietas, quae mutato demum domicilio ad statum pristinum reduci potest. Ita ex apricis regionibus ad septentrionales qui transmigrarunt, scrofuloso vitio corrumpuntur, quod disparet in postera gente, indolem nacta boreis plagis consentaneam. Altera ex parte Cretinismus alpinus tamdiu non poterit exstirpari, quamdiu in opacis et paludosis convallibus morantur infortunati. — Neminem praeterea fugit, quam numerosae vicissitudines morbis haereditariis intercedant cum rebus civilibus, cum gentium humanitate et moribus, cum corporis animique cultura, cum negotiis, victu, vestitu omnibusque rebus externis. Oportet medicum, quousque singulis vel fides habeatur vel diffidatur, computare, utpote quibus quum dextre uti didicerit suaque studia circumspicienter accommodare, praeclare societatis humanae saluti prospiciet. Parvi enim aestimat muneris dignitatem qui in patefacti morbi curatione acquiescit; plurimum prodest, qui germina funditus ingenerata, quum nequeat evellere, tamen prohibet, quominus altiores radices propagent. Ad quem finem duplex via munita est, diaetetica altera, altera therapeutica. Ubi de mera quadam diathesi agitur, vix alia cura praeter diaeteticam adhibenda est. Nimis longinqua meoque scopo aliena est enumeratio praeceptorum, quae spectant ad corporis roborationem. Praesertim quantum potes tempestive vitam qua par est modereris, qua de causa maximi pretii validas nutrices habent iisque multum confidunt, si propria conditione longe dis-

sident ab diathesi sugentibus ingenita. Dein quo tempore in periodica evolutione versantur infirmiora organa, ut ab injuriis custodiantur, circumspiciendum est. Proh dolor! medici rarissime familiarum custodes tum demum arcessuntur, quum pestiferae faces jam incensae sunt clientibus — Ubi prima morbi initia apparuerunt, diaeteticis cautelis remedia junguntur pharmaceutica, quibus minacia symptomata tuto compescantur. Nonnulli certo remediorum ordini quasi universalem quandam utilitatem circa plures morbos adscribunt, quos ex uno saepe eodemque natalitio fonte promanare recte intellexerunt. Ita minitantibus cachecticis morbis praedicant roborantia, vinum, corticem peruvianum, rheum, martialia. Eccoproticis alii ceterisque derivantibus acrimoniae, qua humores scatere arbitrarentur, exitum parare studebant. Portal (1) opinione ductus versute defensa, hodie vero obsoleta, propemodum cunctos morbos haereditarios ex viro syphilitico cum vitio scrofuloso originem petere, ubique connubium mercurialium cum amaris commendat. Illud semper suadendum est, potiora medicamina tum demum ad usum vocari debere, quum morbi suam veram naturam luculenter manifestaverint.

Singularis medendi ratio exstat, quam pauci indigitaverunt, paene nulli tentaverunt, nec certo quispiam meditatione ambire neglexerit, qui partum vix gremio materno enisum vitio congenito adeo vidit labefactari, ut in maturam perniciem ruat, aut superstes nihil delectamenti

---

(1) Ej. Considérations sur la nature et le traitement des maladies de famille et des maladies héréditaires etc. Paris 1814.

e miserrima vita capiat. Nonne vero dum foetui innascuntur morbi, ad eosdem nobis adire licet? Gravis quaestio, verum quae tantas difficultates movet, ut non mirum sit, quod medici artis inopiam fateri quam petere maluerint, quae plerisque inepta et paradoxa visa sunt. — Primum nil magis reconditum est, quam remedia quibus gravida utatur, quomodo ad foetum valeant. Alii medicamina omnino negant ad foetum pervenire, qui adinstar segetis humo immissae in utero vigescat. Joerg (1) praegnanti eam solam dignitatem vindicat, ut proli amplum receptaculum, chylum sui generis, oxygenium et calorem, qua par est nutritioni, quantitate et qualitate praebeat. Quibus turbatis foetum tabescere quidem, nec tamen certa quam mater toleraverit, aegritudine corripi putat. Ingeniosum virum vix crederes tam immodice fallaci opinioni indulsisse, ut usitatissimam observationem rejiceret. Plurimi penitius quod foetus cum gestante sustinet commercium edocti, rei molestia deterriti sunt, quin eam accuratius experirentur. Hufeland (2) jam suprema die imminente, optime meruit, quod neglecta studia indicavit et gestantibus haud spernenda praecepta tradidit, ut sanam formosamque nanciscerentur sobolem. Nil habeo aptius antiquiusque, quam verba senis venerabilis paullulum commentari. Post brevem congenitorum morborum enumerationem ad itinera pergit, quibus adversi impetus ad foetum vehantur, iisdem benignos inferri adhortatus. Intima societas foetui et matri per san-

(1) Handbuch zum Erkennen und Heilen der Kinderkrankheiten von Dr. J. C. G. Joerg. Leipzig 1826.

(2) Von den Krankheiten der Ungebornen etc. etc. in seinem Journal für prakt. Heilkunde. 1828 St. I.

guinem conciliata est. Vasorum enim corii fasciculi, testibus Vater, Nortwyk, E. H. Weber (1), in venas materno cruore repletas ita sese immergunt, ut earum membranulas introrsum quasi protrudant, neque expeditus utriusque sanguinis confluxus, sed mutua penetratio per integros parietes obtineat, quam endosmosin et exosmosin nominant. Hac ratione foetus sibi sumit nutritium laticem quem deterioratum ad humores uterinos, unde novam capiat virtutem, remittit. Neque habemus, cur Lauthium sequamur, qui systema quoddam lymphaticum accipit intermedium, neque Joergium, qui peculiarem chylum utero elaborari opinatur, ex quo foetus nonnisi utilia hauriat, repudiet aliena et prava. En sollicitum rerum delectum, quomodo habeat fructus tam saepe materni morbi particeps! Faciamus enim, plurimas foetus aegritudines, inprimis dyscrasicas, ex diathesi germini inhaerente, ipsa sana matre, prosilire; unde morbi acuti, inflammationes, exanthemata, febres, quae in praegnante una et foetu observata apud fide dignissimos scriptores legimus; unde, inquam, nisi contaminati humores ab altera ad alterum transfunderentur? — Deinde nervorum ope externis rebus aditus ad foetum paratus est, quem parum illustraverunt anatomici. Etsi funiculus umbilicalis autoribus Home, Schott, Arnold (2), non caret fibrillis nervorum, haud tamen inde concludi fas est, foetum cum matre nervorum continuitate jungi. At sive hanc opinionem adoptaveris, sive aura tibi nervosa arriserit talis, qualem Hufeland imaginatus est; id saltem pathologicis decla-

(1) Cf. Kilian. Die Geburtslehre etc. T. I. p. 116.
(2) Cf. Kilian l. c. p. 122.

ratur phaenomenis, aliquam vim nerveam a matrice in prolem redundare. Qui explicaveris subitam illius agitationem, quam matres, postquam animi motum vehementiorem tulerunt, experiuntur; quomodo mortem, quae fulminis instar tenellum restinguit, matre praecipitem terrorem perpessa. In quibus si solum sanguis, chylus, calor, oxygenium inopia peccarent, id quod Meissner(1) affectat, non intelligitur, quid extemplo causam sequatur effectus; quoniam observati sunt foetus per plures horas in utero defunctae matris superstites. Insultus vero spasticos, convulsivos quod attinet nescio num aliam originem agnoscam praeter foetui indigenam nervorum infirmitatem, cui dummodo materni humores ex terrore, ira, tristitia depravati advehantur, motus musculorum inordinatos expergisci dicant. Idem est, quod interdum neonatis occurrit, si pabulum nervorum turbis insalubre a nutricibus percipiunt. Vis imaginationis, qua quum ingratissimum simulacrum toto animo perhorruerit gravida, efficitur, ut neonatus illius prae se ferat notam characteristicam: haec vis mirabilis, quam tot clarorum virorum documenta tuentur, ut rei fiduciam habere quam dubitationem malim, potestne sibi innervatione meliorem interpretem vindicare?

Silentio reliquas vias ab autore nostro recensitas, quibus ad foetum deferantur adversaria et salutaria transeo. Medicamina sic stricte dicta solo sanguinis auxilio quatenus certum ferre liceat augurium, virtutes suas ad

(1) Fr. L. Meissner, die Kinderkrankheiten etc. Leipzig 1828.

foetum propagant. Hoc enim experimenta quaedam et observationes pathologicae testantur. Williams fetis canibus oleum in venas infudit, idque in umbilicalibus ceterisque pullulorum vasis reperit. Alii in neonatis cuniculis, quos gestantes matres rubia tinctorum pastae erant, telam osseam rubello colore infectam deprehendebant. — Haud insolite gravidae spirituosis vel narcoticis abusae partus edunt hydrocephalicos, sicut idem morbus infantibus accenditur, quibus vinum vel opium pessime administratum est. Secale cornutum parturientibus majori copia inditum genituram peculiariter afficit. Nuperrime Ch. Hooker oleum quoddam, integrum illius remedii principium narcotico-acre continens, quoties parturientibus impertiebat, toties neonatum lividis integumentis, magna dyspnoea, convulsionibus cunctisque ergotismi indiciis laborare conspiciebat. In clinico quod Bonnae floret obstetricio tres equidem vidi recens natos, qui ex eadem ista causa faciem quasi stupefactam praebebant, coloris e rubescente lividi, tumidos oculorum bulbos, conjunctivas sanguine quasi suffusas, quam singularem neque accuratius describendam conditionem abundo secalis usu, non vi aliqua ad partum mechanica provocatam censuit Kilian, praeceptor illustrissimus. — Procul dubio similes exstant animadversiones, quas medici, obstetricantes potissimum adepti, dispersim in scriptis notaverunt; quod vero earum collectionem facere omisi nemo mihi vitio vertet, qui ejusmodi operis molestiam cognoverit. Praestat analogiam citare, quam Hufeland tradit. Usu venit ut quaedam remedia lactis ope sugentem afficiant; ita somno capitur lactens ex somniferis lactanti datis, purgatur ex eccoproticis, sudat ex sudorifi-

cis, acescit ex acidis. Nonnulli tantam in eo fiduciam posuerunt, ut morbis infantum commode mederi crederent medicaminibus nutrici applicatis. Quodsi lactenti cum cibo mamillari medicina ferri potest, non est cur parem virtutem ad foetum exerceri abjudicemus pabulo uterino, quippe quod liberius et assidue ad istum perfluat.

Affatim de re necessaria ac vix stremuo argumento egente locutus sum. Quod utinam dicere liceret de remediorum virtute, quomodo ad teneram fabricam pertineat. Quin imo rei tenebricosae si quando nobis certissimam rationem reddere possemus ac potentias medicatrices foetui illatas ad nostrum arbitrium moderari, parum profecimus, quoniam fundamenta, quibus nova curatio superstruatur, semper deficient. Quotcunque enim morborum foetus signa et vestigia aut oculo conspicias in recens natis, aut cultro in tenellis cadaveribus detegas, tamen illi, dum utero proles absconditur, ne probabilem quidem diagnosin admittunt. Valde dolendum, quod ex uberrimis observationibus, quas embryonalis pathologiae sectatores concinnaverunt, nulla morborum fida symptomata impetrari possunt. Non omnem matris aegritudinem ferunt a foetu percipi; quae vero totam gravidae constitutionem perturbant, fluctuor, omnibusne prolem sollicitari, ita ut in eundem vel similem aetatique congruum morbum incidat, existimem. Mulieres dyscrasicae neutiquam immunem fructum gestare possunt; etenim primo germini vitiosam notam imprimunt, nascentem polluunt humoribus immundis, paternae vero potioris naturae heredibus eo officiunt, quod pessima nutritione languida evadunt eorum corpuscula, in quibus tamen vix

unquam distinctiora desunt morbi vestigia. Hisce quoque fretus Leake (1) feminis syphiliticis, scrofulosis, arthriticis fortissima remedia durante graviditate adhibenda proposuit, quibus ipsarum et geniturae morbi delerentur. Cachexiae vero inveteratae haud cedunt breviori curae, quam qui immodice gravidis instituit, earum vires incassum frangit, ut foetui debita ad evolutionem subsidia omnino detineant. Caute adhibita remedia, quamvis diathesin vitiosam non extinguant, tamen certo certius fructui bene consulunt, nec unquam praetermitti debent. Quare prudentius agunt, qui in sanando materno morbo, si facile sanabilis est, in limitando, si integram sanationem repudiat, placidissima qua liceat ratione acquiescunt, qui ad majora artis praesidia instante demum vitae discrimine recurrunt, qui vires praegnantis idonea praecipue diaeta sustinent, neque immensa medicamentorum colluvie corpora magis extenuant quam expurgant, qui naturae sapientia potius quam arte incerta confisi, neogenitis tuta auxilia ferre malunt quam foetum temeritate periclitari.

Quamquam morborum congenitorum et notitia et curatio piis nostris votis in sempiternum adnumerandae sunt, tamen nil obest, quin haereditariis quibusdam dispositionibus, quo maxime tempore exili fabricae implicantur, medicinam quaeramus. Neque earum cognitio sensuum aciei patet, verum conjecturae adeo fidae, ut raro nudam probabilitatem non excedat. Valent ibi praestantissimae Hippocratis (1) voces: »ex pituitoso pituito-

(1) Cf. Rougemont l. c. p. 168.

(1) Ej. de morbo sacro.

sus, ex bilioso biliosus gignitur, ut ex tabido tabidus, ex lienoso lienosus; quid prohibet, ut cujus mater et paters hoc morbo correpti fuerunt, etiam posteriorum ac nepotum aliquis eo corripiatur; semen enim genitale ab omnibus partibus procedit, a sanis sanum, a morbosis morbosum.« — Quodsi ex genitoribus unum vel alterum vitio haereditario peccare experti sumus (a matre facilius quam ex patre ad sobolem volvi dicuntur), merito suspicamur fore, ut propago ejusdem vitiositatis particeps fiat. Quum vero mater semel vel bis partum edidit pravum, serius quoque genituris infausta praedictio statuenda est; tum etiam sufficiet, ipsis intactis parentibus, ni forte aliam causam gravidae obnoxiam in promtu habeas, idem illud malum frequentius in ascendente genere occurrisse. Silet enim saepe morbus in genitore, dum ab aevo derivatur in nepotem (1).

Cogitanti autem de medela, qua diathesis foetui ingenerata queat emendari, hoc prae ceteris providendum est, ut neque sanam gravidam remediis corrumpat, neque aegrotantem praeter modum debilitet. Huic praecipue conditioni respondet curandi methodus, quam in limine dissertationis indicavi atque nunc brevibus exponam. Pater feminis, quibus fructum inesse suspicatur vitio familiari infectum, eo solet benigne prospicere, quod ad quartum vel quintum mensem vergentibus hydrargyrum muriaticum mite, qua par est ad leviusculam excitandam salivationem praescribit. Per quindecim circiter dies mane et vespere dimidium granum Calomelanos saccharo albo immixtum porrigit, usque dum organismum quasi medi-

(1) **Boerhave Aphorism. 1075.**

camine saturatum leviora, quae primum in gingiva et saliva consequi solent, symptomata significaverint; subinde, quo paullulum sustentet effectum, quadrantem grani ministrat, quamdiu gestantes non insigniorem molestiam patiuntur. Vitae ratio durante cura ita temperatur, ut blando cibo potuque fruantur, sed justa ad nutritionem copia et indole, abstineant ab acidis, salsis, nimie conditis, spirituosis, ab omnibus, quae sanguinem irritant, onerant digestum aut nescio qua chemica ratione nocenter pharmacon decomponere possunt. Domesticis ceterum negotiis fungi debent, quae nulla perfrigerii pericula secum ducunt. — Ubi post tempus supra definitum exoptatae sequelae nondum apparuerunt, omnino abstineamus a cura. Fert autem insidiosa Calomelanos natura, ut in aliis ocius, serius in aliis, nec nunquam interrupto demum usu salivationem provocet, in quibusdam vero nullam, nisi post diuturnum usum, qui vires facile conficit, nobisque tanquam pestis fugiendus est. Quare quamvis ob levem neque periculosam curam nimis anxiam ad vitae moderamen habendam dissuaserim providentiam, tamen continua et sollicita gravidae custodia opus est. Cautelae denique in aliis aliae observandae sunt; neque est, quod morbos, oris praecipue, dentium primarumque viarum singulatim recenseam, in quibus exitiosa sunt mercurialia. Id solum liceat admonere, patri nunquam accidisse, ut feminae consumtis octo vel duodecim granis Calomelanos vacarent salivatione, aut ex eadem, qualescunque fuerint dispositae, insignius incommodum vel detrimentum caperent.

Quid sibi velit mercurius hac ratione gravidis administratus, reputaturus primo loco persuasum habeo, illum

per maternos latices ad foetum penetrare. Dividuam enim remedii naturam non modo peculiaria, quae suscitantur, symptomata demonstrant, sed chemicorum quoque perscrutatio illustrat, qui quamcunque compositionem adhibuerint, semper purum, metallicum hydrargyrium in compluribus tam solidis quam fluidis partibus reperiebant. Deinde quarto demum graviditatis mense nos curam moliri debere, certissimo ducimur ratiocinio. Etsi enim placenta funiculoque umbilicali nondum perfecte conformatis amicissimum connubium inter uterum et ovum obtinet, neque latent fontes, quibus embryo alimenta sua exhauriat, tamen medicaminibus tum demum ad foetum itinera expedita videntur, quum vasorum quam supra descripsi reciproca conspiratio absoluta sit. Faciamus vero mercurium jam primas embryi radiculas attingere, hasce nullo pacto ne minusculis quidem illius dosibus pares fore speraverim. Plerique hydrargyrium gravidis damnosum habent propterea, quod facile abortum provocet. Nimirum indubia experientia sancitum est neque intellectu difficile, illius intempestivo uberrimoque usu, quem syphilidi inprimis opponunt, praegnanti et proli damnum parari, quidquid Rust objiciat, ne ingentibus quidem istis unguenti neapolitani infrictionibus partus evadere immaturos. Attamen quarto quintove mense, quo tempore placenta suam maximam amplitudinem adepta est, foetus certo legitima gaudet vitalitate, qua nostram curationem perferat. Haec denique tantum abest, ut moveat ecbolen, ut ipsa ad eandem praecavendam interdum haud inutilis fore videatur, dummodo abortus habitualem illam formam induat, quae vitiis integumentorum et rudimentorum ovi et fructus vel destructionibus quibusdam placentae

nititur. Haud me fugit, quam aegre in tam occultas causas incurramus, atque semper in hisce cum grano salis nec nisi post luculentissimam diagnosin confugi debet ad mercurium, qui abortum ex alia quacunque causa imminentem utique promovet. Jam vero, ut sufficienter eluceat mercurius quid prospere valeat ad subtilem foetus conformationem, plurima desiderantur. Primum natura dispositionum haereditariarum, quae cujuslibet aevi auctoribus summas movit controversias, nostro quoque tempore medicorum sententias distrahit. Veteres eo dissentiebant, quod alii vitia solidarum partium, alii humores inquinatos, acrimonia, fermento quodam morbifero repletos ad germina transplantari opinabantur. Alias lites Stahlius excitavit, morbum videlicet haereditarium aliud esse, aliud dispositionem ad morbum cohortatus. In plerisque morbis anatomia et chemia pathologica docemur, functiones turbatas, quarum societate formatur morbi effigies, ex certis materiae mutationibus proficisci, quae modo in solidis modo in fluidis elementis insignius perspiciuntur; nulla enim vera et praeceps inter utraque differentia utpote quorum extremi fines sese continua gradatione excipiant. Deviationes strati organici eadem qua obortae sunt ratione iterum solent emendari, velocius vegetoque naturae impetu in acutis, febrilibus, inflammatoriis, in chronicis vero, dyscrasicis tarde, nec unquam tam clandestino, ut foris dum nil suspecti obviam venit, morbiferi fomites in occulto gliscant ac proserpant. Reduce vero integritate semper infirmitas aliqua relinquitur partibus, qua fit, ut repetitis occasionalibus causis in pristinam recidant aegritudinem. Quodsi hanc meram infirmitatem ab ista materiei permutatione rite separare

liceret, certumque terminum stabilire, quo altera transeat in alteram, non verbis, sed revera inter morbum haereditarium et dispositionem comprobari posset discrimen. Utramque vero, et debilitatem et ipsam vitiositatem partium ad fructum transmitti existimaverim, quo eodem itinere secreto fabricae externae et internae sive normalis sive monstruosae lineamenta, quo animi vitia et virtutes proseminantur. Rougemont eo paullum discrepat, quod diathesi haereditariae facultatem inesse contendit, qua sponte sua, nulla admota causa, ad morbum evehantur; labefactata enim organa usque ad praedestinatam metam munere suo perfungi, dein exhaustis viribus morbo conflictari, ad quem procliviora nata sint. Attamen necesse videtur ad hunc finem nocentia quaedam extrinsecus introducantur, nisi peculiare virus, tanquam futuri morbi solam et necessariam causam, liquamine virili aut latice materno supra germina effundi dixeris.

Hanc Portal imprimis amplexatur opinionem neque recentissimus de morbis haereditariis praeclarus scriptor Piorry omnino morborum quorundam, quibus contagium specificum elaboratur, syphilidis, scirrhi, variolae haereditariam indolem restringit. Equidem quin admodum versutas quaestiones indagare conamen faciam, Naumannio adnuere malim adhortato, nullum existere morbum originalem, nisi cujus immediatam causam ipsa partium constitutio amplectatur. Postremo quamcunque adhibuerint interpretationem, nobis illud perspexisse sufficit, quod unicum pro certo, parum quidem accurate stabiliri potest, familiares dispositiones in aliqua nisus formativi aberratione verti, quae in fecundatione germini

imprimitur ad genitoris effigiem conformando. Prima vero gestatione, ubi vita plastica mirum quantum praepollet, functionibus partium adhuc dormientibus nec vivide adversus aliena reagentibus, necesse est cuncta, quae ad eandem sive noxie sive prospere pertineant, funditus ac sine impedimento fabricae embryonali innascantur. Quod quantum mercurio partium tenerrimis radiculis integre quasi implicando faveat, facile intelligitur. Jam in eo esset, ut comparatis peculiaribus vitae foetalis conditionibus atque remedii virtutibus, quae abunde quidem a medicis praedicantur, neque tamen distinctius explicatae sunt, theoriam construerem ad curam propositam rite quadrantem. At quorsum in hisce defatigaremur? Nihil enim juvat secreta explicari secretis neque solem licet manibus gestari.

Finem hisce pagellis impositurus doleo, quod temporis angustiae me cogunt, praecipuas, quae curationis laudem tuentur, animadversiones paucis solummodo indigitare. Duo prae reliquis exstant morbi haereditarii, quos ad praecavendos Calomelanos usus opportunissimus videtur, rhachitis atque cerebri hydrops. Haereditariam rhachitismi indolem sunt qui negent, familiarem quidem existere rati, non quod a parente ad sobolem transferatur, sed quod omnes unius ejusdemque stirpis socii paribus, quae morbum provocent, injuriis obnoxii esse soleant. Hanc opinionem refellunt illustrissimae rhachitidis congenitae exemplaria, quae nil aliud quam ex haereditaria labe proficisci potest; ni cui forte subtiles quaedam nuper inter rhachitidem foetalem et infantilem statutae differentiae sufficiant, ut aequalem utriusque natu-

ram infitietur. (1) Apud cives nostros rhachitis frequentissime occurrit uberrimamque praebet occasionem confirmandi egregia Stollii (2) verba: „Integrae tales familiae sunt, ut malum certo sit haereditarium inque seros nepotes propagetur, nisi forte fortuna aut alterutrum parientem proles sequatur meliori sanitate donatum, vel vero matura medicatio tonica et antiarthritica accedat; vidimus integras familias rhachiticas, gibbosas.“ Deinde quod Schoenlein indicat, ex podagricis praesertim genitoribus rhachiticos infantes procreari, in nostris familiis saepius observatum est. Praeter hanc genuinam quam vocaverim morbi propagationem alia ejusdem haereditaria origo obtinet, eaque uti videtur reliquis multo frequentior. Fert enim arctissimum, quod singulis dyscrasicis morbis intercedit, connubium, ut ex diathesi, quam dyscrasici parentes gignendis largiantur haud eadem semper hisce prorumpat aegritudo quam illi toleraverint, verum saepenumero diversa pro partium quae exquisitius labefactatae fuerint et pro nocentium quae ad easdem extrinsecus redundent, varietate. Plures familias excitare possum, quarum socii alii rhachitide, alii scrophulosi, tuberculosi, alii hydrocephalo, epilepsia, impetiginibus laboraverunt, quamvis parentes tantum simplicis morbi sigillo muniti fuerint. Nihil autem apud nostrates usitatius est, propter loci, coeli ac vitae iniquas rationes, quam infantes vitiose dispositos in rhachitidem cadere, aetatem quidem qua morbus expergisci consuevit adeptos. — Cerebri vitia, quae congenita obser-

(1) C. f. Mansfeld in Graefe's Journal, T. XIX. 1833.
(2) De morb. chron. Tom. I. p. 20. 22.

vantur, monstruosa inprimis, verum est creberrime fortuitis causis durante gestatione ad foetum impetuose agentibus effici, neque merito docent nonnulli, iniqua maxime matris valetudine monstrorum formas praescribi. Attamen parum juste ad eadem illustranda haereditariae origines negligi mihi videntur. Nulla vero inter encephalopathias infantiles saepius observatur dira familiarum deletrix quam hydrocephalus. Cujus duplex forma probe distinguenda est, chronica et acuta. Hydrocephalus chronicus, ad quem cerebri formae monstruosae, anencephalia, hemicephalia aliaeque omnino spectare videntur, ita ut illum vel efficiant, vel ex eodem ipsae ortum ducant, tantum non semper congenitus est atque certo, quotquot eruerint externas causas, ex haereditaria labe proficiscitur saepius. Itaque semper adversus eundem mercurius auxilio vocari debet, nisi ejus usum aliae morbi causae manifestae aut irritum reddant aut nobis interdicant. Hydrocephalum acutum, quo pernicioso morbo haud raro omnes unius matris soboles, certam periodum, praesertim dentitionis assecutas interire videmus, frequentissime ad dyscrasicos morbos, scrofulosum inprimis et tuberculosum vitium reduci debere, a peritissimis scriptoribus probatum atque cadaverum sectionibus confirmatum est. Licuit mihi ipsi ejusmodi permulta eaque valde exquisita obvervare exempla, atque affirmare possum, quibus gravidis mulieribus, semel infantem hydrocephalicum enixis, Calomel administratum sit, eas semper sanis immunibusque fructibus gavisas esse, nisi earum corpora perquam corrupta pessimisque humoribus turgida remedii efficacitatem absumerent. Vix enim est quod exbibeam, quo validiores sint matres et quo magis a patre prava dispositio germini

inseratur, eo certiorem in medicatione nostra ponendam esse fiduciam. Quantum denique ex satis ampla serie animadversionum, quae hucusque institutae sunt, colligere fas est, hydrargyrium muriaticum mite placida nec ancipite methodo adhibitum, in omnibus haereditariis ac familiaribus corporis et mentis affectibus, qui quamcunque dyscrasicam prae se ferunt indolem, remedium est, quod assidue experiamur, dignissimum.

VITA.

Natus sum ego, Joa. Augustus Kortum, Stolbergae prope Aquisgranum sitae die XXII. mens. Jul. anno h. s. XX. patre Carol. Georg. Theod. Kortum, medico practico, quem adhuc vivum summa pietate veneror, matre Sibilla Wendelina e gente Schleicher, cujus praematuram mortem lugeo. Fidei evangelicae addictus sum. Primis literarum elementis imbutus, gymnasium quod Marcoduri floret per annos quatuor et dimidium frequentavi. Deinde gymnasium Aquisgranense petii, unde post sesquiennium testimonio maturitatis munitus dimissus sum. Anno h. s. XXXVIII. tempore autumnali universitatem almam petii Rhenanam, ibique ab Ill. Mayer, rectore t. t. magnifico, in civium academicorum numerum receptus, nomen dedi Ill. Wutzer, decano t. t. spectatissimo. Scholis per tres annos et dimidium interfui hisce:

a. Philosophicis: de psychologia et logica Ill. van Calcker; de physice experimentali Ill. Plücker; de zoologia et zootomia Ill. Goldfuss; de mineralogia Ill. Noeggerath; de botanice et de familiis plantarum naturalibus Ill. Treviranus; de chemia experimentali, de phyto-et zoochemia Ill. G. Bischof; de venenorum natura in corporibus venenatis indaganda Ill. Bergemann.

b. Medicis: de anatomia generali et speciali, de

arte cadavera rite dissecandi Ill. Mayer et Weber; de situ viscerum Ill. Weber; de pathologia generali et semiotice Ill. Naumann; de encyclopaedia et methodologia medica, de materia medica et formulis rite concinnandis, de anatomia pathologica, de morbis syphiliticis Ill. Albers; de physiologia, anthropologia, therapia generali et speciali Ill. Nasse; de chirurgia generali et speciali, anatomia topographica, de operationibus chirurgicis, de fasciis rite applicandis, de morbis oculorum Ill. Wutzer; de arte obstetricia ejusque historia, de instrumentis obstetriciis, exercitationibus ad phantoma instituendis, de morbis infantum Ill. Kilian. Scholas clinicas medicas Ill. Nasse; chirurgicas et ophthalmiatricas Ill. Wutzer, obstetricias Ill. Kilian per duo semestria frequentavi.

Tempore paschali a. h. s. XLII. hanc almam literarum universitatem petii, atque a rectore t. t. magnifico Ill. Dieterici civibus academicis adscriptus, nomen sum professus apud Ill. Juengken, decanum t. t. spectatissimum. Scholis per duo semestria hisce interfui clinicis: medicis Ill. Schoenlein et Wolff, chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Jüngken, medico-chirurgicis Cel. Trüstedt, de morbis infantum Cel. Barez. De medicina forensi et politia medica audivi Ill. Wagner.

Quorum virorum omnium maxima in me merita pio gratoque animo semper prosequar.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Calomel remedium infantibus amicissimum.
2. Syphilidem congenitam nego.
3. Tubercula nonnisi haereditate oriuntur.
4. Stimulus ad partum in utero magis quam in foetu quaerendus.
5. Empyematis in bronchum sese aperientis operatio nunquam indicatur.
6. In parturiente subito emortua non semper sectio caesarea instituti debet.